



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De siliis concubinarum. xix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Quòd illiteratus & aliquo mēbro imminutus prouehi ad sacros ordines non debeat. Cap. XVIII.*

**I**llos quoque, aut aliqua parte corporis imminutos, nullus præsumat ad clerum prouehere. Quia nec literis carens, sacris esse potest aptus officiis, & vitiosum nihil Deo prorsus offerri, legalia præcepta sanxerunt. Si- militer qui seipsos abscindunt.

*De filiis concubinarum. Cap. XIX.*

**D**e his qui ex concubinis filios habent, & vxores legitimas, posthabuerunt, & defunctis vxoribus sibi concubinas publicè sociant, id obseruandum censuimus, vt sicut eos, qui iam clerici per ignorantiam ordinati sunt, nõ remouemus, ita statuimus ne vltèrius ordinentur.

*Vt dæmonibus similibusque passionibus irretiti, sacra tractare non debeant. Cap. XX.*

**V**sque adeò sanè comperimus illicita quæq; prouehere, vt dæmonibus similibusq; passionibus irretitis mysteria sacrosancta tractare tribuatur. Et post pauca: Si corpore sauciatũ aut debilem nequaquã sancta contingere lex diuina permisit, quanto magis doni cœlestis dispensatores esse nõ cõuenit, quod est deterius, mēte percullos.

*Vt de seruili cõditione, nisi prius à dominis propriis libertatè habeant, nulli ordinentur. Cap. XXI.*

*Ex concil. Triburic. cap. 25.*

**V**t nulli de seruili conditione ad sacros ordines promoueantur, nisi prius à dominis propriis legitimam libertatem consequantur. Cuius libertatis charta ante ordinationem in ambone publicè legatur, & si nullus contradixerit, ritè consecrabuntur. Porrò seruus non canonicè consecratus, postquam de gradu deciderit, eius sit conditionis, cuius fuerat ante gradum.

*De eadem re. Cap. XXII.*

*Ex decre. Leonis pa. cap. 1.*

**A**dmittuntur passim ad ordinè sacrum quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur: & qui à dominis suis libertatem consequi minimè potuerunt, ad fastigiũ sacerdotij, tanquam seruilis vilitas hunc honorem iure capiat, prouehuntur: & probari Deo posse creditur, qui domino suo necdum probare se potuit. Et post pau-